



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

V. Consideratio & affectus de Omnipotentia Dei. Feria V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

tem substantialem in refectione spirituali accipio; ab eo quoq; vitam æternam spero, juxta promissa: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Joan. 6.

V. *Consideratio & affectus de Omnipotentia Dei.*

F E R I A V.

I. **O**Mnipotens sempiternus Deus, quem admodum natura tua Divina est infinita; ita quoque potentia tua undeque infinita est: quâ potes, præter jam creata alia & alia producere sine fine: alios celos, alios mundos, Angelos, homines perfectiores, & perfectiores in infinitum: *Subest enim tibi, cum volueris posse.* Sap. 12. Tu potes omnipotentia tua virtute creata omnia annihilare, reproducere, transmutare, elementa confundere, solem sistere, mari & ventis imperare, panem in corpus, vinum in sanguinem convertere, morbos curare, mortuos suscitare, atque hæc omnia potes per teipsum, sine difficultate, sine exemplari extraneo, sine materia, aut temporis morâ. O Deus! quàm mirabilis est potentia tua! demissè eam revereor & profundè adoro. *Extende,*
quæso

quæso; in me potentem dexteram tuam, ac perfectiorem & perfectiorem indies me effice, ut tibi evadam gratior, & ad tremenda mysteria tua peragenda dignior. Transmura me in virum alium, annihilaverem hominem, & reproduc novum, impera ventis passionum mearum, ut in anima mea, præsertim divinis intenta, fiat tranquillitas magna.

II. Huic omnipotentæ tuæ, mi Deus, veluti fundamento, præcipua fidei nostræ dogmata innituntur: ut de creatione, conservatione, & gubernatione Mundi. In hac fundantur mysteria Incarnationis, Resurrectionis, visionis beatificæ, ac præcipuè Venerabilis & admirabilis Eucharistiæ, quæ stupendum est miraculorum compendium. Et licet ea intellectûs nostri tenuitas non assequatur, suppositâ tamen omnipotentia, sapientia, & verbi tui veracitate, haud gravatè assentitur. Credo itaque Domine, omnia Religionis nostræ mysteria à te nobis revelata, & per Ecclesiam tuam proposita: quia tu dignissimus es cui loquenti fides adhibeatur, & credatur quidquid de stupendis

operibus ac prodigiis tuis nobis reuelas.

III. Et quis non credat tibi, ô potentissime & veracissime Deus ! licet alta & intellectûs nostri exiguitatem superantia reveles ; si vel ea, quæ indies in cælo, & in terra operaris , admiranda expendat ; quis non speret in te , si ad innumerabilia in omni vita, accepta beneficia reflectat ; quis non fidat tibi omnipotenti, promittenti, & volenti ? cûmque de tua promissione & voluntate constiterit, cui de omnipotentia ambigere licebit ? Venio itaque ad te Deum omnipotentem in Sacramento Altaris absconditum, cum leproso dicens : Matth. 8. *Domine si vis potes* : immundus sum, si vis, potes me mundare : infirmus sum, si vis, potes me sanare : tepidus sum, si vis, potes me accendere. Gaudeo quod omnipotens sis ac possis ; & gaudeo quod omnipotentia tua constituta sit in manibus benevolæ tuæ voluntatis : quidquid ab hac processerit, bonum erit atque utile mihi, tibi verò gloriosum. Amen.